MISCELLANEE
B
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
ROMA

Bibl. vecchia 4 50

CON. 19. C. 14 3

Digitized by Google

Digitized by Google

DE DEO TRINO ET VNO

AD PAVLVM V. PONT. OPT. MAX.

ET SACRVM CARDINALIVM COLLEGIVM.

ORATIO.

IOANNIS BAPTISTÆ ALALEONIS
MACERATENSIS I. V. D.

MAE

Habita Romæ in Sacello Vaticano die SS.
Trinitatis anno ſalutis. 1606.

AD ILL. AC REV. D. D. PAVLVM
TIT. S. CÆCILIÆ S. R. E.
CARD. SFONDRATVM.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

ROMAE,
Apud Aloiſium Zannettum. Anno 1606.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILL. AC REV. D. D. PAVLO
TT. S. CÆCILIÆ S. R. E.
CARDINALI SFONDRATO.

QVam nuper in Sacello Vaticano orationem de Trinitate dixi, Cardinalis Ampliſſime, in vulgus edere ſane paſſus non eſſem, niſi Aſcanij Cardinalis Illuſtriſsimi Columnæ Principis mei acceſsiſſet imperium, dum eandem celſitudini tuæ, cuius ille ſumopere pietatem, magnificentiam, doctrinamq. miratur, conſecrari præcepit, & quidem nihil iucundius, nihil oportunius euenire potuit, dum eadem opera & Principis exequendi iuſſa, & gratum tibi animum æternæq. obligationis teſtimonium ob tanta in me, familiamq. meam collata beneficia honoreſque faciendi palam ſeſe præbet occaſio. quare ſi huiuſcemodi licet exiles ingenij mei fructus hilari vt ſoles fronte ſuſcipies, tantum afferes propenſo ſatis animo ſeuerioribus etiam curis implicato incrementum, vt ſedulitatis ac laboris ope maiora ſtudiorum meorum monumenta expectare poſsis. Faxit interim Deus vt te Reipublicæ Chriſtianæ nobiſque diu incolumen feliciſsime ſeruet. Vale.

Digitized by Google

ORATIO.

ARcanum, atque ineffabile diuiniſſimæ Trinitatis ſacramentũ Beatiſſime Pater, quod ſacroſancta mater Eccleſia hodierna celebritate mortalibus aperit, & recolendum, admirandumq. proponit, ſicut res humanas longe ſuperat, & à communi hominũ ſenſu abhorret, ita ad cogitandum difficile, & ad dicendum prorſus inexplicabile reputandum eſt. Siquidem hac ſacratiſſima luce non partem diuini operis aliquam vt cæteris anni temporibus, ſed quantam in ſemetipſo obtinet maieſtatem venerantur & colimus, vt merito inter cætera ortodoxæ fidei arcana, hoc vnum myſterium myſteriorum omnium maximum à quo reliqua ſuam deſumpſerunt amplitudinem appellari debeat. Verum qui ſum ego vel quotuſquiſq. ſit alius, qui in opifice ac molitore rerum omniũ Deo vel animo excogitare, vel cogitando capere poſſe confidat, vim illam & naturam perſonarum diſtinctione triplicem, eſſentiæ ſimplicitate vnam, Deum inquam illũ qui cum ſe ipſum ab omni æternitate perfecte intelligat coæternum ſibi filium gingit, cum quo ſanctiſſimi illius numeri quo gaudet Deus, complementum par Deo Sanctum Spiritum ſpirat, qui deinde Patris, Filijq. amor auguſtiſſimus in vnum aggerit diuinas perſonas & copulat cũ Filio Patrem. Quare vbi humana vis deficit, vbi vniuerſa Philoſophia conticeſcit (maiora ſed vera dicam) vbi etiam perſpicax cœleſtium intuitus, menteſq. propiores Deo velantes à maieſtate obiectæ diuinitatis faciem prope diuinam, immenſam illam excellentiã aſſequi deſperant, vbi tacent diſertiſſima cœli præconia, audeat homo hiſcere, tantamq. prouinciæ molem vel ipſis Angelorum humeris formidandam ſubire confidat? tacerem omnino niſi quæ cauſſa po-

Digitized by Google

tiſſimum ſilentium ſuadet imbecillitas mea, eadem ad dicendum magno cum auctore Chriſto Domino impelleret, dum ſapientiſſime Deus (quæ bonitatis tuæ laus eſt) abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis; quam ego ſententiam eo facilius ponam ante oculos Beatiſſime Pater, quo iucundius iſta tuæ præſentiæ luce recreari me ſentio ſupleriq. quod mihi deeſſet ex meo; & hoc erit argumentum orationis quod fuit incitamentum oratoris. Inſidebant olim in animis hominum ſemina & principia quædam Diuinitatis, ſed latebant quaſi gelu ſub terram preſſa, raraq. viriditate frondebant; & licet ij, quos vulgo ſapientes appellauit antiquitas, nonulla vel inconſiderate compoſita, vel ingenioſe excogitata de diuinarum Trinitate perſonarum attigiſſe videantur, cæcutientes tamen in medio ſole, & in re cœleſti (toto vt aiunt Cœlo) defecerunt. Extant (non ignoro) ſybillarum quarundam carmina de Patre & Filio nonnihil vaticinantia, monumentis traditum quoq. ſcio, Mercuriũ illum Tryſmegiſtum, Zoroaſtrem, Caldeos, Numenios, nouiſſimoſq. Platonicos, qui neſcio quam vmbrã in immenſa illa luce vidiſſe, nec penitus tres diuinæ Naturæ hypoſtaſes ignoraſſe crediti ſunt, nichil tamen proprijs ingenij viribus, niſi errorum nubibus obſcuratum excogitarunt; potuerunt, & ſane conati ſunt, inter cæteros Perſarum Magi, Gymnoſophiſtæ Indorum, Græcorumque ſapientes nonnulla de æterno opifice humanis quibuſdam coniecturis confuſe inueſtigare, de Deo autem trino & vno, non modo quidquam veri attingere, quidquam ſani recenſere valuerunt, ſed ne ab alijs quidem declarata percipere, aut percepta credere potuiſſent, niſi tu bone Ieſu, ò vere pius ò vere miſericors, vltro nec opinantibus pateſeciſſes. Et quis vnquam precor, abſque diuini luminis ope adduci potuiſſet vt crederet, æternum Patrem per ſe ipſum exiſtentem principium principio carens, Filium vero principium ex principio, non

in tem-

Digitized by Google

in tempore factum, non creatum, ſed ex omni æternitate genitum, Spiritum ſanctum ex Patre & Filio, æternum pariter ex æternis, non creatum non genitum ſed vtroque mirabiliter procedentem, non diuerſa inter ſeipſos natura,ſed pari nobilitate & excellentia, vt ſit vna mens trium, voluntas vna, vna maieſtas. Sed quo imprudens feror?nonne ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria? Quin potius liceat mihi cum Paulo exclamare, ò altitudo diuitiarum ſapientiæ,& ſcientiæ Dei,qui vere abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis.Fruar & ego paruulorum, humiliumq. prærogatiua, non elaborabo inquiſitione myſterij, non rationum momentis inueſtigabo Sacramenti diuinitatem, ſed poſitam ante oculos veritatem contemplabor. Teſtis ſit nobis in veteri ſacraq. pagina fidelis Abraam, qui tres videns vnum adorauit;loquatur Iſaias qui Deo in trono ſedenti, ter Seraphin ſanctus acclamantes audiuit,& vt inumera tam veteris inſtrumenti, quam noui argumenta prætereſam, quod aptius in auguſtiſsima temporum plenitudine teſtimonium expoſcimus,dum ipſemet Dei filius Apoſtolis tamquam à latere ad vniuerſum terrarum orbem legatis demandauit, vt docerent, & baptizzarent omnes gentes in nomine eiuſdem ſanctiſſimæ & indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij,& Spiritus ſancti. Tanto ſane doctore opus fuit ad tam admirabile inauditumq. myſterium,atque adeo ipſius doctrina profectum eſt, vt quod antea præſtantiſsimis omniumq. artium perpolitis viris reconditum fuerat,idipſum iam mulierculis & ruſticanis hominibus expoſitum ac denudatum appareat. Et quid admirabilius quam pueros iam in matris pene ſinu videre diuinarum perſonarum Trinitatem balbutire,pluralitarem Deorum pernegare,vnum aſſerere,hypoſtaſes enumerare, idq. palam tam ſerio,conſtanterq. aſſeuerare, vt pro huius ſententiæ veritate dicant ſe ſanguinem vitamq. profuſuros? O bonitatem Dei inaudi-

tam

Digitized by Google

tam, ò miſericordiam incredibilem ac prædicandam, & vnde putatis illud nobis factum eſſe Aud. præſertim in hoc mundi quaſi ſenio? tibi hoc debemus amatiſsime ſpiritus, amor ardentiſsime patris & verbi. Animaduertite mecum ſi placet & paulo altius figite oculos mentis in Deum ipſum, in illo modum, quo nobis immenſam maieſtatem, ſed latentem hucuſque aperuit contemplamini. Duæ homini, viæ ſunt cordis faciendi palam, nempe verbum, & quo poſſumus etiam efficacius affectus & amor, ò quam ſublimiter vtraque ad ſe oſtendeudam ſanctiſſima Trinitas inceſſit via, nonne illa palam nobis facta per verbum eſt? per illud inquam verbum per quod facta ſunt omnia, quando æqualis illa patri maieſtas ab omni æternitate beatiſſima incognitus nobis, ſoli ſibi cognitus Deus, de ſinu æterni Patris demiſit ſe in ſinum virginis Matris in tempore quaſi vnus ex nobis factus ſub lege, quando inuiſibilis ille qui lucem habitat inaceſſibilem, cuius in domo gloria & diuitiæ ſunt nunquam deficientes, habitator factus eſt ſtabuli, noſtræ particeps inopiæ & egeſtatis, habituque inuentus vt homo. hinc illa nobis facta palam maieſtas noſtræ opoſita humilitati, tunc Cœlum ſtabulo comparatum viſum eſt Cœlum; quam pulcher es, inquit vnus ſanctorum, Domine Ieſu & decorus in ipſa tui depoſitione decoris, etenim vbi te exinaniſti vbi naturalibus radijs lumen indeficiens exuiſti, ibi claritas plus effulſit, ibi amplius gratia radiauit; nimirum pulcher eras & decorus, cœleſtibus illis contemplatoribus tui in die æternitatis, ſplendor & figura ſubſtantiæ patris, & nitidiſſimus candor lucis æternæ, ſed quid de illa luce miſeris nobis in tenebris & vmbra mortis obſcuriſſima filijs Adæ terreni in valle lachrimarum niſi nobis etiam pulcra & decora orta eſſes ſtella ex Iacob illuminare his qui in tenebris & vmbra mortis ſedent, niſi etiam nobis luciſſime flos de radice Ieſſe egreſſus eſſes, noſque iucundum lumum in tenebris

Digitized by Google

nebris oriens ex alto viſitaſſes. Quis ergo noſtrum myſterium Trinitatis ignoret poſt teſtimonium verbi? nonne Verbo ſeſe totum Deus oſtendit apertiſſime? Pater etiam ipſe oſtendit ſe tibi ò homo in Filio, quid enim aliud eſt filius, quid Verbum Dei, niſi imago patris & figuræ ſubſtantiæ eius. Habemus ergo patrem cum filio oſtenſum paruulis verbo. Tu vero ſanctiſſime Spiritus qui vltimis hiſce diebus non ſolum factus palam es paruulis, ſed etiam magiſter datus es paruulorum; ille (vt dictum eſt) vos docebit omnia, & cum omnia docuerit quis adhuc in tanto lumine cæcutiet, quis noctem medio aget in ſole, offendat in die? faceſſant modo & obſtrepant quidquid velint Diuinæ veritatis hoſtes Hæretici, ſatis ſuperque arcanum iſtud ipſius Dei ore expoſitũ fuit. quid ergo muſcitas ſceleſtiſſime Sabelli dum trium perſonarum numerum negare perfricta iſta fronte præſumis? quid tu Luciferi fomes infelix Arri, quid amens furis, dum veram in Filio diuinitatem proterue ſtolideque inficiaris? quid tandem Macedoniorum exardeſcit inſania dum Spiritus ſancti diuinitatem confiteri malo nimirum ſpiritu, ac tenebrarum principe ſuadente recuſauit; ò miſerrimum perditorum hominum genus, en tandem veſtræ cæcitatis condignas apud inferos pœnas exoluitis, michique laborem adimitis in hoc præſertim loco apertiſſimę huius veritatis defendendæ, cum potius tantum beneficium, cuius hodierna die recordamur admirari, ex admiratione ad cultum accedere, Deoque Optimo Maximo gratias habere, agereque debeamus, dum ſibi coeternum & coequalem Filium ad homines mictere, eoſdemque per ſpiritum in nobis inhabitantem ad diuinæ cognitionis ſcientiam attollere dignatus eſt. Quare vnum ſupereſt, vt dum gratias referimus etiam preces admiſceamus; eſt enim hoc diuinæ laus immenſitatis, vt dum gratiæ pro antiquis beneficijs aguntur noua etiam beneficia poſtulentur. Tu igitur Deus

Pater

Digitized by Google

Pater æterne, cuius potentia conditi ſumus, tu Deus Fili cuius ſapientia gubernamur, tu Spiritus ſanćte cuius bonitate recreamur, tu tandem ſanctiſſima Trinitas, dum tibi Tryſagium canimus hymnum, Eccleſiam tuam vniuerſam ſic foue ſic auge, vt quæ de hodierno Sacramento in ænigmate ſpeculatur & credit, reuelata tandem facie in perpetuas illas æternitates contempletur.

FINIS.

1000982

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google